

Superiori Aestate, cùm Basileam pro-  
 fectus essem, ibique mihi à viris doctis o-  
 mnia humanitatis officia exhiberentur, à  
 pietate & doctrinâ Clarissimo viro D. N.  
 D. IACOBO ZVINGERO Medico  
 longè celeberrimo, ad ciuem quendam Ba-  
 filiensem, triginta circiter annorum ætatis  
 deductus fui. Laborat ille affectu planè ab-  
 struso, quem paucis, & vti ipsum tum tem-  
 poris, propter meam festinationem, annota-  
 re potui, híc adscribere non grauabor. Ela-  
 psos ante annos sex vir iste dolore grauatio  
 capitis correptus fuit, & per menses aliquot  
 continuò laborauit. Adhibitis remediis tan-  
 dem ex parte remisit dolor capitis, sed crura ita  
 resoluta fuère, vt in hunc vsque diem, ne di-  
 gitum quidem pedum, multo minus crus mo-  
 uere possit. Quod si aliquis ex adstantibus ea  
 subleuare, aut vi quadam extendere (sunt au-  
 tem retracta) tentat, ita tremunt, & agitantur,  
 vt protinus ea reponere necesse sit. Non diu  
 post resolutos, & quidem diuersis temporibus  
 superuenerunt, imò etiam nunc superueniunt  
 vlcera in capite, quæ non solum cutem &  
 membranam carnosam, verum etiam cranium  
 ipsum erodunt. Sed quod admiratione non  
 vacat, verisimile est materiam illam acrem,  
 ac corrosiuam, primum intrinsecè colligi,  
 carièque istâ antequam exterius appareat,  
 tabulam vitream erodi. Si enim vlcus ali-  
 quod in capite oriri debet, ante omnia do-  
 lorem fixum illa in parte capitis intrinse-  
 cè perlentit, etiam si in cute nihil quicquam

R iij

*Historia  
 de admi-  
 rando ca-  
 pitis affe-  
 ctu.*

*forsan  
 Zuis q d  
 inunctio &*